2d.

REGI

SERENISSIMO & POTENTISSIMO

CAROLO Secundo,

REGI MAGNÆ BRITANNIÆ, GAL-
LIÆ & HIBERNIÆ, &c.

DUODECIMO IMPERII ANNO, MENSE MAIO,
REGNUM INGRESSO,

Acclamat NICOLAUS LUNDIUS,
Hafnia Danus.

1660.

HARVARD COLLEGE LIBRARY
MAY 26, 1913
SUBSCRIPTION FOR
ENGLISH HISTORICAL TRACTS

c820
95

REGI

SERENISSIMO & POTENTISSIMO

CAROLO Secundo,

REGI MAGNÆ BRITANNIÆ, GALLIÆ & HIBERNIÆ, &c.

SIc rabies exploſa ruit, gravioréq; lapſu
E ſummo turbata cadit. Deſtruxit Olympus
Illicitos Furiarum auſus; ſervile recondunt
Virus, & ad putrem retrahuntur Erynnides Orcum.
Mitior arridens Titan, incendia quamvis
Tiſiphone crepet, & flammis fomenta minetur,
Evomitos ignes, eructataſq; favillas
Diſſipat, in vanos abiit fuligo vapores.
Hactenus infixos oppreſſa Britannia dentes
Invidiæ, rabidóq; nimis ſua viſcera morſu
Arrodi, truſamq; foras ſtillare medullam
Senſit, & in tetras doluit dejecta lacunas.
Inverſum regimen, ſumma imis miſta jacebant
In fœdum diffuſa Chaos, triſtiq; tumultu
Tot ſimul in tanto commiſſa piacula regno.

Omnia monſtroſam in miras conflata figuras
Induerant formam: Variis polluta rapinis
Templa & ſacra Dei, vaſtata palatia regum,
Et quid præterea? Tantas dum in pectore curas
Volvit Britonidum ſine voce & murmure mater,
Obſtupuêre omnes & adhuc in funere vivam.
Illa ſuis aſſueta malis immota ſedebat,
Non frendens miſerè quamvis laniata, nec ullis
Ora rigans lacrymis: Parvus dolor elicit illas,
Humectatq; genas; at ſi vitalia frangit
Membra, ipſum carpit caput, & præcordia tentat,
Incutit horrorem, fontemq; obſtipat aquarum:
Sic ea, in adverſum luctantibus undique fatis,
Non lacrymis fœdata genas, nôn rauca querelis
In mediis ſiluit morti vicina ruînis,
Preſſa premens gemitus, & vix ſuſpiria ducens.
Senſêre & quotquot genuino ſanguine creti
Cum genitrice omnes ſuſpiravere Britanni.
Viderat hæc è nube trucis ludibria ſortis
Aonidum Præſes, medióque è vertice Pindi
Advolat, & facili fundit ſolatia lingua.
Anglia, ait, mundi decus, & mea gloria quondam,
Plurima quæ pridem noſtris ornata coronis
Pectora protuleras, tot in ipſo Helicone fovebas

Belle-

Bellerephontei potanda liquore caballi,
Jam lacerata jaces, & acerbis ſaucia telis
Vix regis afflictos diris cruciatibus artus.
Digna tuo luges luctu, ſed crede minantis
Infauſtos Erebi jamjam labaſcere fœtus.
Siſte metum, nullum retinent injuſta vigorem
Sceptra, ſed ut fragiles tandem rumpuntur habenæ.
Talia repperies in priſco codice Vatum
Difflari ad validos vel ſe diſſolvere ventos.
Pœna ſuos ſequitur. Sumſit diadema Lycaon
Tranſiliit leges Patrum præſcripta, cruore
Purpureo ſparſus, quæcunq; aſtuta libido
Suaſerat, inſtituit, nunquam ſine cœde quietus:
Neglexit ſylvas hominum venator, & iſtis
Deliciis, (crudele nefas!) placavit Avernum.
Tot ſcelera & tanta ſtipatos ſtrage furores
Non legum titulis tamen, aut mortalibus armis
Frenavit ſcelerum vindex Aſtræa, nec ullæ
Terrenæ fregêre manus, majora patrarat
Quam pœnis luſtranda hominum: Gravioribus actis
Fata etiam gravius deſtinavere tribunal
Sub Jove. Quis dicet? Fuit hic impune tyrannus!
Attamen haud omnes eadem fortuna retundit:
Sunt alii, qui jura tenent aliena, ſuaq;

Præcipites levitate ruunt, & maxima fractæ
Mentis, & indubii produnt monumenta timoris.
Sic cecidit, noſti, Phaeton, *cum ſcandere currus*
Tentavit, quibus impar erat, conamine vano
Flexit, & in miros tandem devolvit hiatus.
Patris equi natum ſemel axe in devia ducto
In vetitas traxêre vias, & in horrida ſigna
Deluſum rapuere & deſtituere cadentem.
Anglia quid metuis? cur ad ſolatia noſtra
Muta ſiles? An monſtra times? Fuit illa timoris
Cauſa olim, haud iterum tantis agitabere pœnis.
Monſtra quidem ſudore Hecates, Stygiáq; palude
Ebria produxit Pluto, ſed deniq; ferro
Heroum, & gravibus merito confoſſa ſagittis.
Quid? ſi Erimantheus *ſylvas vaſtavit, & ipſas*
Preſſit aper *terras, & ſævo dente colonos*
Diripuit, ſenſit tandem ſua fata, virumq;
Qui ſæviturum mediis confudit in auſis.
Quid tibi Lernæa *dicam vehementius* Hydra?
Hæc etenim peſtes Mundi, maſſasq; veneni
Evomuit, tetróq; homines infecit & auras
Afflatu, tamen hæc non impunita receſſit:
Adfuit Alcides, qui uno compeſcuit ictu
Indomitos alias rictus, monſtroſa revulſit

A trunco capita, & moritura robur in Hydra
Suſtulit, & populo duxit plaudente triumphos.
Tu quóq;, quæ nimio quaſſata es turbine venti
Tandem ſume animos, apparet blandior æther;
Nec porro pejora time, mutata ruinis
Fata tuis poſuêre modum, miraberis ipſa,
Cum in priſcos revoluta globos venerabere Regem.
Imminet illa dies, quam tantis anxia votis
Optaſti, ſerves te jam melioribus aſtris.
Sic ait, & magnam tam læta ad carmina Matrem
Surgentem linquit, repetitque per aera Pindum.
Illa quid? accepto quod ei dictarat Apollo
Omine faticanæ Phœbi diffidere linguæ
Noluit, & priſcum cœpit ſperare nitorem.
Nec mora, ſperanti gratans arriſit Olympus.
Venerat, in ſummam cum protraherentur abyſſum
Omnia, vixq; ardens caperet medicamina vulnus,
Heros Devonius, *ſciſca ut radice tumultus*
Rumperet, aſſenſit cœlum, quo vindice rupit.
Non nive candentes ſylvæ, non grandine nubes
Turgida, nec Boreæ flatus, glacieſve retardat.
Hæc licet impediat, tamen haud conſtringit euntem.
Tantus amor Patriæ! ſua providus agmina ducit
Per medias hyemes, intenſáque frigora Brumæ.

Stipatus

Stipatus binis Aſtræa & Pallade divis.
Illa manu læva leges & jura Britannis
Reſtauranda tenet, pullas fert dextera chartas,
Hic populi gemitus, hosq; extorquentia facta
Enormes cædes, & furta cruenta notavit.
Arma alacris Bellona quatit, vibratq; ſariſſam
Non tamen ut noceat, nullum bibitura cruorem;
Sed magnum tutura Ducem, qui ſidere blando
Legitimum tacito profitetur pectore Regem.

Quid non conato, quid non ſucceſſit agenti
MONCKIADÆ? *Cantet fidos ſibi Roma Camillos,*
Servavit, fateor, preſſas Thraſybulus Athenas:
Sed quid huic æquum facto? ſine fulmine Martis
Tempore tam exiguo, per tanta pericula, tutum
Ire, tribus regnis optatam reddere pacem;
Reddere ſuppreſſas leges, & reddere REGEM.

Anglia miratur, reliquus ſtupet orbis, & ipſa
Poſteritas vix credet avis, cum pondera rerum
Prudenter decreta, dein velociter acta,
Et ſummos æqua trutinabit lance labores.
Quæ meritas quæſo memorabunt carmina laudes
Herois, propriæ qui cum diſcrimine vitæ
Reſtituit vitam Patriæ, quo intrante paterno
Reddita jura ſolo, & legum veſtigia preſſa?

Miſit

Miſit quæq; ſuos regio per vota probatos
Libera, qui in tantæ ſervirent cardine cauſæ,
Et priſco inſtruerent Anglas moderamine terras.
Vix impleta Domus, *vix ad ſubſellia ventum,*
En! Legatus adeſt, qui miſſa ex Principis aula,
Demandata ſibi cunctis mandata revelat.
Accipiunt, & quiſq; tuam Rex Carole *mentem*
Expreſſam calamo devotis auribus haurit,
Et penitus cordi teneros inſcribit amores.
Sic penetras mentes. Oſtendit littera Regem
Eminet in quovis Majeſtas ſeria puncto.
O probitas! O miſta animo clementia juſto!
Quem non attonitum linquit prudentia motu
Fermentata pio, qua Te ducente manebas
Inſtabilis varios Fortunæ immotus ad ictus.
Carole, *qua tendis comitante ad culmina rerum?*
Hæc Tibi, quicquid agis, dux eſt, hac judice, quãvis
Vulnus alas animum mordens, tamen abnuis eſſe
Ipſe Tui vindex, aliis hæc pondera defers,
Et decernendas poſt ſtricta examina pœnas.
Quantum agis hoc calamo? Variis emerſa procellis
Jam Tua nulla videt ſibi ſtructa obſtacula virtus,
Ad nutum Tibi cuncta fluunt. Quis Sceptra STUARTI
Rejicit? Et quæſo Tibi quæ molimina REGI

Obſtreperent, qui jam livoris ſpicula tranſis ?
Quod nocuit ruit omne nefas ; meliora paravit
Anglia ſubridente polo: ſuffragia juſto
Hæredem dicunt ſolio. Tua jura refulgent
Sculpta typis : tacitis ſic hactenus agnite votis
Aggrederis tua jura thronum. Te pectore clauſum
Hactenus, atq; animis populi, gemituq; probatum
Jam Dominum *præco, jam publica pompa fatetur.*
Britonidum voces, & promptæ gaudia gentis,
Percuſſas gladiis haſtas, teſteſq; favoris
Sulphureos bombos, pileoſq; per æthera miſſos,
Et crebro Tameſis reſonantia littora plauſu
Vidimus : Æternum poſcunt hæc Jubila vatem,
Qui decertantes populique & Regis *amores*
Fonte Aganippeæ feliciter irriget undæ.
Creſcit amor, majora inſtant, non ſufficit aures
Arrexiſſe, petunt alienæ littora terræ,
Ne ſero in regnis Regem venerentur avitis,
Ut videant avidi. Quem tot ſuſpiria molli
Ante vocaverunt gemitu, jam voce requirunt
Anglorum Proceres, & utroq; ex ordine mittunt
Qui Carolum *venerentur, & in ſua regna reducant.*
Hos patriæ teſtes animo vultûque ſereno
Accipis, & variis admittis honoribus auctos,

Atque

Atque miniſteriis, (honor eſt ſervire Monarchæ)
Et deſiderium jamjam expleture Britannum
Ingrederis claſſem. Totus circumtremit aer
Percuſſus clangore tubæ, clamore virorum,
Excipit unda ſonos, imitantur fulmina naves,
Et conſpirantes mittunt ad littora bombos.
Exiliunt Nymphæ, ſentit tua pondera Tethys
Atque humeris ſupportat onus, placaverat æquor
Neptunus, Dominumq; ſuis agnoſcit in undis.
Non furor Æolidum, non æquoris ira timetur,
Rex vehitur, promti veniunt ad claſſica venti,
Et felix Anglum tandem ferit anchora fundum
Ridet ad optatum rediviva Britannia ſolem.
Quæ in Patriæ jacuit modo ſemiſepulta ruinis
Jam recipit vires, terræq; ad littora tendit
Pomposos ſub Rege ſuo ductura triumphos
Nobilitas. Exit ſtipatus flore Britanno
Scipio Devonius. *Tanto comitatus Achate*
Securus patriam calcas Rex Carole *glebam.*

Qua pergis manifeſta vides veſtigia lætæ
Gentis, & innati fulgentia ſigna favoris.
Intima præteritos evellunt gaudia luctus.
Suppeditat ligna, ac hilares videt Anglia flammas,
Jam flammis erepta Orci, jam candida fulget

Et priſcam recipit placido ſub Numine lucem.
Nec ſecus ac Phœbe oppoſita, vel nube ſiniſtra
Cum cohibet radios, nullasq; illuminat auras
Rex Hyperionius, triſti confundimur umbra;
At Luna Eoo cedente, aut nube repulſa
Reſpirans totum Phœbi jubar erigit orbem.
Sic dum legitimus regnorum extruditur Hæres,
Nube quaſi obducta, mediis immerſa tenebris
Fatorum gravidas ſenſere dolentius iras.
Rege ſuis redeunte redit ſua vita Britannis.
  Jamq; auguſte tuum flammatis Carole Titan
Natalem ſignabat equis, & judice Pindo
Natalem Patriæ, quo Sol & ſidera regni
Spargebant mixtum populo acclamante nitorem.
Inflat fama tubas, aliis ut cantet in oris,
Dum Tu ſceptra capis. Reſonet mea Dania plauſu
Agnatus, Frederice, Tuus, ſua regna capeſſit.
  Felicem ſpondent felicia ſidera curſum.
Aggreſſus ſolium Mundo plaudente paternum
Romule Britonidum, teneas quod fata dicarunt
Imperium ſeros Princeps longævus in annos!
Fortunæ (hoc Virtus clamat) ſublimior axe
Emineas! Et ſic tandem ſub Numine blando
Æternum capies cœlo plaudente coronam.

FINIS.